

adiectivum cum viciniore substantivo consentit. Ex. gr.: *Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora et oculos esse intentos.*

12. *Factus, creditus, dictus, dicendus, visus, appellatus, vocatus* et caetera participia eiusdem generis, si post duo substantiva diversorum generum ponantur, cohaerent cum eo quod basis est et fundamentum orationis. Ex. gr.: *Divus Thomas, sustentaculum Ecclesiae dictus.*

13. Relativum *qui, quae, quod*, et etiam *hic, iste, ille, ipse, is, idem*, cum pronomina fiunt, cum antecedente concordant in genere, numero et persona. Ex. gr.: *Adestote animis qui adestis corporibus. Arbores serit agricola quarum fructus ipse aspiciet nunquam.* Sed *quantus, talis, qualis* et caetera eiusdem generis, cum consequente substantivo genere, numero et casu conveniunt. Ex. gr.: *Talis es qualem te putabam. Xerxes cum tantis copiis Graeciam invasit, quantas neque antea neque postea habuit quisquam.*

Relativum *qui, quae, quod*, etiam in casu cum antecedente concordat quotiescumque antecedenti praepositur, quamquam saepius alterum relativum subiicitur et pronomibus *hic, iste, ille*, etc. Ex. gr.: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. Quem vidistis equum nudius tertius emi.*

Si relativum inter duo substantiva ponatur, cum alterutro convenire poterit, etiamsi alterutrum proprium sit. Ex. gr.: *Sempiterni illi ignes quos stellas dicimus, vel quas stellas dicimus. Animal hoc sagax quem vocamus hominem, vel quod vocamus hominem.*

Quandoque verbum infinitum aut brevis sententia antecedentis vices gerunt, et tunc relativo neutrum genus erit. Ex. gr.: *Esse beatum, quod omnes cupiunt, iustus proprium est.*

In caeteris omnibus, idem de relativo pronomine observandum quod supra de adiectivo dictum est.

14. Substantiva continuata si ad eandem rem pertinent, eodem casu concordant, quamvis genere et numero interdum dissentiant, quod *appositio* vel *semiconcordia* vocatur. Ex. gr.: *Aput Herodotum, pa-*

trem historiae, sunt innumerabiles fabulae. Tullia, deliciae nostrae, salutem tibi plurimam adscribit.

15. Interrogatio et responsio eidem ferme casui cohaerent. Ex. gr.: *Cui te devovisti? Iesu Christo Domino meo. Cui praeceptori dedisti operam? Divo Thomae Aquinati. Quo morbo fuisti impeditus? Assiduo moerore.* Responsio vero ab interrogatione interdum dissentit. Ex. gr.: *Quanti emisti librum? Tribus denariis.*

CAPUT II

DE RECTIONE

§ I.—DE SUBSTANTIVO ET PRONOMINE

16. Si substantiva diversarum rerum in eadem sententia continuantur, quibus sit possessionis nota erit genitivus. Ex. gr.: *Caesar recepit praenomen imperatoris, cognomen patris patriae.*

Sin vero genitivus laudem vel vituperationem significet, aut materiam ex qua res fit, in ablativum mutari potest. Ex. gr.: *Homo antiquae virtutis et fidei, vel antiqua virtute et fide. Poculum argenti vel ex argento.*

17. *Opus*, substantivum, et *usus* (cum *opus* significat), ablativum postulant; sed interdum etiam nominativo vel genitivo adiunguntur. Ciceronis exempla: *Aput Terentiam gratia opus est nobis et auctoritate. Temporis et laboris et multae impensae opus fuit. Usus* (id est *opus*), *est tibi amicis.*

18. Substantiva verbalia eosdem ferme casus habent quos verba a quibus procedunt. Ex. gr.: *Ascensus in navem. Reditus ab Hispania. Obtemperatio legibus.*

19. Substantiva quibus ambigua est significatio, ut *charitas, amor, memoria, desiderium, cura*, itemque caetera, si possessionem actionemve significant, pos-

sessivis adhaerescunt, secundum dicta (num. 9), ut: *amor meus, desiderium meum*, id est, quo amo et desidero; sin vero passionem significant genitivos *mei, tui, sui, nostri, vestri* flagitant, ut: *amor mei, desiderium mei*, scilicet, quo amor desiderorque. Ex. gr.: *Dionysium flagrantem desiderio tui, misi ad te. Me impulit tui charitas. Nunc tandem relinque, quaeso, quam iucundissimam memoriam tui.*

20. Quae generalem animi vel corporis partem significant, cuiusmodi sunt: *pars, dimidium, aliquid*, cum possessivis etiam non cohaerent, sed itidem genitivum exigunt. Ex. gr.: *Meliorum partem mei amisi: dimidium mei longe abest.*

21. *Amor, causa, occasio, copia, cupiditas, cura, ars, consilium, metus, modus, facultas, finis, mos, ratio, scientia, studium, tempus, voluntas* et alia quamplurima substantiva, gerundium genitivi regunt. Ex. gr.: *Efferor studio patres vestros vivendi Athenas erudiendi gratia et missus. Optime peccatum evitat qui occasiones fugit peccandi.*

22. Demonstrativa pronomina cum substantive ponuntur, genitivum admittunt. Ex. gr.: *Ad te hoc litterarum dedi. Res eodem est loci quo reliquisti.*

§ II.—DE ADIECTIVIS

23. Adiectiva quae *scientiam, communionem, desiderium, recordationem, metus, copiam* et his contraria significant; item pleraque a verbis orta, praesertim in *ax, ius, idus, osus*, cum adiectivis *reus, securus* et *proprius*, genitivum regunt. Ex. gr.: *Mens criminis conscia timida est mortis. Socium et consortem gloriosi laboris amiseram. Iudex volens esse tenax recti, non debet dubius esse iuris, nec cupidus bonorum.*

24. *Cupidus, avidus, studiosus, consuetus, insuetus, insolens, peritus, imperitus, gnarus, ignarus, doctus, sciens, nescius, inscius, certus, timidus* et similia, cum gerundio genitivi efferuntur. Ex. gr.: *Sum cupidus te in illa longiore ac perpetua oratione audiendi.*

25. Adiectiva *similitudinem* aut *dissimilitudinem*,

aequalitem, societatem, amicitiam, vicinitatem, consanguinitatemque significantia; item *communis* et *superstes*, interrogandi vel dandi casum exigunt. Ex. gr.: *Nihil est tam morti simile quam somnus. Aequalis patris vel patri. Comes regis vel regi. Amicus Francisci vel Francisco. Aedes astris vel astrorum vicina. Affinis matris vel matri. Culpa communis est utriusque nostrum vel utrique nostrum. Superstes patris vel patri.*

26. Quaeque adiectiva *partitionem* significant, genitivum possessionis vel ablativum multitudinis cum praepositionibus *e, vel ex, vel de* admittunt. Ex. gr.: *Multae istarum arborum vel ex istis arboribus, mea manu sunt satae. Quis vestrum vel ex vobis est qui non moriturus sit?*

27. Adiectiva quibus *commodum, voluptas, gratia, favor, fidelitas, obedientia, evidentia* et his contraria significantur, item verbalia in *bilis* et etiam *supplex, obnoxius, obsonus*, cum his qui de *cum* vel *via* componuntur, dativum casum repossunt. Ex. gr.: *Cunctis esto benignus, nulli blandus, paucis familiaris omnibus aequus. Facilis tyroni, evidens sapienti. Verba improbis obvia, prudentibus obsona, obnoxia pueris. Vir Deo supplex rationi consentanea sequitur.*

28. Quae *aptitudinem* ad aliquid agendum vel patiendum; *nimique propensionem*, aut his contraria significant, cum dativo efferuntur; sed elegantius cum accusativo et praepositione *ad*. Ex. gr.: *Paratus morti vel ad mortem. Pronus virtuti vel ad virtutem. Accomodatus bello vel ad bellum.*

29. Quae dativo iunguntur, gerundium dativi etiam regere possunt, ut: *Idoneus docendo. Impar scribendo.*

30. Adiectiva *loci spatium* vel *mensuram* significantia, substantiva mensurae in accusativo vel ablativo regunt. Ex. gr.: *Lignum crassum sex digitos, sexquipede longum, latum pede. Militis aggerem pedes trescentos, altum pedes octoginta extruxerunt.*

31. *Extorris, nudus, dignus, contentus, inanis, refertus, inops, locuplex, alienus, onustus, immunis, plenus, cassus, dives, potens, fretus, vacuus, captus,*

praeditus, orbis, indignus, liber et viduus, sextum casum sibi assumunt. Ex. gr.: Vir summo honore dignus. Huic tradita est urbs nuda praesidio, referta copiis.

32. Adiectiva *diversitatis et numeralia ordinis, item securus, liber, vacuus, purus, nudus, inops, orbis, extorris, sospes, tutus, immunis, copiosus, plenus, ablativum cum prepositionibus a vel ab, admitunt. Ex. gr.: Certa cum illo qui a te totus diversus est. Imperio et potencia secundus a rege. Non hospes ab hospite tutus.*

33. *Profectus, ductus, ortus, oriundus et similia, ablativum habent cum praepositionibus a vel ab, e vel ex, et etiam sine praepositionibus adhibentur. Ex. gr.: Ortus, oriundus vel profectus Gallia, vel ex Gallia.*

34. Alia quamplurima ablativum postulant qui significet *laudem, vituperationem vel partem. Ex. gr.: Ennius ingenio maximus et debilis fuit oculis. Frater noster cerebro aeger.*

35. Quae substantive ponuntur, more substantivorum construuntur. Talia sunt: *multum, plus, plurimum, tantum, quantum, minus, minimum, exiguum, nimium, summum, extremum, ultimum, postremum, reliquum, aliud, hoc, idem, illud, quid, quod, quodcumque, quidam, quidquid, siquid, aliquid, amplius, nihil et similia. Ex. gr.: Tantum aquae quantum vini. Nimium eloquentiae sapientiae parum.*

36. Comparativa cum ablativo iunguntur. Ex. gr.: *Lux sonitu velotior est. Quod si comparatio per quam efferatur, eodem casu pro comparatis utemur. Ex. gr.: Lingua latina locupletior est quam graeca. Certum est linguam latinam locupletiolem esse quam graecam.*

37. Superlativa vero cum genitivo plurali vel singulari collectivo iunguntur; item cum ablativo et praepositionibus *e, ex, de* vel *prae*; et etiam cum accusativo et praepositionibus *inter, praeter, ante, super, supra*. Ex. gr.: *Aristoteles graecorum, vel totius Graeciae vel e tota Graecia, vel inter graecos, vel praeter, ante vel super, vel supra omnes graecos, vel prae omnibus graecis sapientissimus.*

38. *Absurdum, acerbum, arduum, asperum, credibile, crudele, difficile, dignum, dulce, durum, facile, foedum, grave, horrendum, incredibile, indignum, infandum, inutile, iucundum, lepidum, leve, memorabile, mirabile, mirandum, mirum, molestum, necessarium, nefandum, obsenum, optimum, pessimum, pulchrum, rarum, speciosum, suave, terribile, turpe, utile et alia neutrae positionis adiectiva, supina in u regere solent. Ex. gr.: O rem non modo viso foedam, sed etiam auditu.*

39. Denique, quaecumque adiectiva dativum habere possunt. Ex. gr.: *Omnes ignari sunt sibi, quamvis gnari sint caeteris.*

§ III.—DE VERBO

40. Quae transitiva verba sunt, vel potius accusativa, cuiuscumque positionis, accusandi casum postulant, ut: *Deum cole. Amplexere virtutem. Imitare sapientes.*

41. Verba *accusandi, absolvendi, damnandi, potissimum accuso, accerso vel arcesso, arguo, alligo, adstringo, coarguo, defero, incuso, infamo, insimulo, postulo, absolvo, damno, condemno, convinco, praeter accusativum, genitivum admittunt qui poenam crimenve significet. Ex. gr.: An non intelligis quales viros summi sceleris arguas? Homo furti esse adstringet. Iudex absolvit iniuriarum eum qui Lucilum nominatim laecerat.*

Genitivus vero criminis, maxime cum his verbis: *accuso, arguo, defero, postulo, appello, absolvo, damno, condemno, in ablativum cum praepositione de mutari potest. Ex. gr.: Non commitam posthac ut me accusare de epistolarum negligentia possis.*

Hoc nomen *crimen* ablativo sine praepositione effertur, ut: *Si iniquus est in me iudex, ego eodem te crimine condemnabo.*

Dicimus etiam: *Capite, verberibus, exilio, aliquem damnare, punire, plectere, ut: Eum vos iurati capite*

damnastis. Ausus est milites capite punire. Capite plecti debent, vel certe insulam deportari.

Absolvo, libero, alligo, adstringo, mulcto, obligo, obstringo, quemadmodum suapte natura ablativum petunt, ita et ablativum significantem poenam crimineve tacita praepositione admittunt. Ex. gr.: Ego me etsi peccato absolvo, supplicio non libero.

42. *Admoneo, commoneo, commonefacio, et item miseret, miserescit, piget, poenitet, pudet, taedet, genitivum habent cum accusativo. Ex. gr.: Grammaticos officio suo commonemus. Cum ipse te veteris amicitiae commonefaceret, commotusne es? Miseret te aliorum, tui te nec miseret nec pudet.*

43. *Verba aestimandi, praesertim aestimo, duco, facio, habeo, pendo, praeter accusativum, hos fere genitivos assumunt: magni, maximi, pluris, plurimi, parvi, minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quanticumque. Ex. gr.: Merito te maximi feci. Quanti is a civibus suis fieret, quanti auctoritas eius haberetur, non ignorabas.*

Dicimus etiam: *magno, permagno, parco, pretio aestimare, ut: Tunc ista parvo aestimas? Magno ubique pretio virtus aestimatur.*

Nunci, flocci, pili, assis, teruntii, nihili, iunguntur cum verbis facio, pendo et aestimo.

Item invenitur: *Pro nihilo habere, ducere, reputare, ut: Ama nesciri et pro nihilo reputari. Honoris fastigia pro nihilo duxit. Divitias pro nihilo habuit.*

Sum, pro aestimor, genitivos magni, maximi, pluris, plurimi caeterosque admitit, ceu: Magni erunt mihi tuae literae.

44. *Sunt quibus geminus dativus praeter accusativum apponitur, ut: Do tibi hoc laudi. Vertis id mihi vitio.*

45. *Verba dandi, reddendi, committendi, promittendi, declarandi, postponendi, praeter accusativum dativum exigunt. Ex. gr.: Salutem tibi idem dare possunt, qui me reddiderunt. Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.*

46. *Quaedam modo dativum, modo ablativum cum*

praepositione habent praeter accusativum, ut furor, surripio, eripio, aufero, etc. Ex. gr.: Si ego tuum antea legissem, furatum me abs te esse dixeris.

47. *Induo, dono, impertio, aspergo, dativum vel ablativum sine praepositione habent, ceu: Non pauca suis adiutoribus longe, effuseque donabat.*

48. *Multa composita ex activis et praepositionibus ad, in, ob, prae, praeter, sub, praeter dativum etiam accusandi casum postulant. Ex. gr.: Inimici mei mea mihi, non meipsum ademerunt. Vereor ne Pompeio quid oneris imponam. Nolite me subtrahere vicarium meae diligentiae.*

49. *Moneo, doceo cum compositis, item flagito, posco, reposco, rogo, interrogo, celo, duos accusandi casus admittunt. Ex. gr.: Idipsum quod me mones, quatrienio ante ad eum scripseram. Hoc te ita rogo, ut maiore studio rogare non possim.*

Moneo, admoneo, commoneo, doceo, edoceo, erudio, pro commonefacio, vel certiore facio, ablativum etiam optant cum praepositione, ceu: Extremum est ut te orem Terentiam moneas de testamento. De itinere hostium senatum edocet.

Interrogo et celo eandem praepositionem admittunt, ut: Sic ego te vicissim iisdem de rebus latine interrogabo. Amicus noster me de hoc libro celavit.

Celo etiam dativo gaudet, maxime voce passiva, ceu: Si hoc celatur patri, in metu sim.

50. *Induo, insterno, vestio, exuo, calco, cingo, et his similia et contraria, ablativum praeter accusativum sibi adsciscunt. Ex. gr.: Deus membranarum tenuissimis oculis vestivit. Diligentius urbem religione quam ipsis moenibus cingitis. Item implendi verba, onerandi, liberandi, his contraria, et multa praeterea privandi. Ex. gr.: Omnibus mihi contumeliis onerasti. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Aegritudo me somno privat.*

51. *Verba petendi et percontandi, praeter accusativum, fere ablativum postulant cum praepositione a vel ab, ut posco, reposco, flagito, eflagito, postulo, deprecor, peto, contendo, exigo, percontor, quaero,*

sciscitor. Ex. gr.: *Quid vita, quid studia tua te flagitent, tu videbis.*

52. *Multa verba auferendi, removendi, abstinendi, accipiendi, praeter accusativum ablativum etiam admittunt cum praepositione ab.* Ex. gr.: *Clodii furores a cervicibus vestris repuli. Abstinet se ab iniuria. Praeclarum a maioribus morem accepimus.*

53. *Intelligendi verba praepositionem ex accipiunt, ut: Certissima iudicabo quae ex te cognoscam.*

54. *Vapulo, veneo, exsulo, fio passivorum more construuntur.* Ex. gr.: *Malo a parentibus vapulare quam assentatoribus aures patefacere. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri a te iudicabo.*

55. *Verbum passivum ablativum cum praepositione a vel ab postulat, qui ex nominativo verbi activi fit.* Ex. gr.: *Liber tuus et lectus est, et legitur a me diligenter.*

56. *Denique transitiva verba, praeter proprium casum, etiam praepositiones cum suis casibus admittunt.* Ex. gr.: *Nihil amabilius virtute, nihil quod magis alliciat ad diligendum; quippe cum propter virtutem et probitatem, eos etiam quos nunquam vidimus quodammodo diligamus.*

DE RECTIONE INTRANSITIVA

57. *Sum cum possessionem significat, vel aliquid ad aliquem pertinere, item refert et interest, genitivum petunt.* Ex. gr.: *Iam me Christi Iesu totum esse scis. Cuiusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Interest omnium recte facere.*

Refert tamen et interest, hos ablativos habent: mea, tua, sua, nostra, vestra, ut: Tua et mea interest te valere. Tua, quod nihil refert, percontari desinas. In Cicerone etiam legitur cuius vel cuius interest, ceu: Ea caedes, si potissimum crimini datur, detur ei cuius interfuit, non ei cuius nihil interfuit.

Sum vero, pro ablativis mea, tua, sua, nostra, vestra, habet meum, tuum, suum, nostrum, vestrum, ut:

Si memoria forte defecerit, tuum est et suggeras. Vestrum dirigere, vincere nostrum est.

Magnum, parvum, tantum, quantum, etc., iunguntur in genitivo cum verbis interest et refert, ut: Magni ad honorem nostrum interest quamprimum ad urbem me venire. Scio quanti Reipublicae intersit omnes copias in unum locum primo quoque tempore convenire.

58. *Misereor et satago etiam genitivum postulant.* Ex. gr.: *Qui miserere mei debent, invidere non desinunt. Is quoque rerum suarum satagit. Sed mireor aliquando dativo gaudet, ut: Misereor tibi.*

59. *Obliviscor, recordor, reminiscor, et memini pro recordor, genitivum vel ablativum adsciscunt.* Ex. gr.: *Est stultitiae proprium aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Faciam ut mei semper memineris.*

Memini pro mentionem facio, cum genitivo vel ablativo et praepositione de iungitur. Ex. gr.: *Neque omnino huius rei meminit usquam poeta.*

60. *Sum modo dativum unum habet, modo duos, ut: Nuntiant melius ei esse. Hoc mihi magnae molestiae fuit.*

61. *Verba quae auxilium, acquisitionem, commodum, imperium, adulationem, obedientiam, adiunctionem, repugnantiam, submissionem, favorem, studium et eventum significant, et item composita ex verbo sum praeter possum (num. 62), dandi casum postulant.* Ex. gr.: *Auxiliaris homini qui blanditur tibi et consulit tui saluti. Qui Deo placet, mandatis eius obtemperans, non cedit illis qui regni illius adversantur. Res nunquam audita accidit mihi, quando multae calamitates evanuerunt tibi. Multum adolescentibus obest inconsulto legere.*

62. *Dativum item postulant libet, licet, liquet, expedit, et quae eiusdem generis sunt, ut competit, constat, dolet, praestat.* Ex. gr.: *Si Deum diligitis, facite quod vobis libet.*

Sed attinet, pertinet, spectat, accusativum exigunt cum praepositione ad, ut: Pertinet ad me.

63. *Idem, multa composita ex praepositionibus*

ad, con, in, inter, ob, prae, sub, dandi casum sibi assumunt, talia sunt: *assurgo, consentio, immineo, illacrymo, intervenio, obversor, praeluceo, succumbo*, etc. Ex. gr.: *Mihi ante oculos obversatur Reipublicae dignitas.*

64. *Antecedo, anteeo, antesto, anteverto, attendo, praesto, praecurro, praeco, praestolor, illudo*, dativum vel accusativum admittunt. Ex. gr.: *Virtus tantum praestat caeteris rebus, ut dici vix possit.*

65. *Egeo, indigeo, vaco, victito, vescor, vivo, supersedeo, potior, delector, abundo, mano, redundo, fluo, scateo, fruor, laboro, glorior, oblector, laetor, nitor, consto, pluo, valeo, possum, sto, fungor et utor*, ablativum postulant. Ex. gr.: *Incredibile est quam egeam tempore. Nuntiatum est in monte Albano lapidibus pluisse.*

66. *Sum* ablativum petit significantem laudem vel vituperationem, et interdum etiam genitivum. Ex. gr.: *Tu fac animo forti magnoque sis. Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse. Nimirum me timidum, nullius animi, nullius consilii fuisse confiteor. Erat puer acris ingenii, sed ambiguus.*

67. Verba intransitiva praepositionum beneficio in casus transeunt. Ex. gr.: *Cum etiam tum in lecto. Cressus esset, et apud eum Sulpitius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Quintus Catullus senex cum Caio Iulio fratre venit.*

DE RECTIONE OMNIBUS VERBIS COMMUNI

68. Omnia ferme verba, secundum proprium uniuscuiusque significationem, etiam alia regunt, sive ad infinitivum, ut: *Vincere nescio, verum certare desidero*, sive ad subiunctivum, alicuius particulae beneficio, ceu: *Accidit ut illo itinere frater veniret.*

69. Verba intelligendi, loquendi et sentiendi, ut *intelligo, cognosco, video, cogito, scio, dico* et alia, infinitivum petunt vel subiunctivum cum particula *quid*. Ex. gr.: *Cogitabam quid faceret. Nescio quam sententiam amplectar.*

70. *Coepi, soleo, debeo, cupio*, et alia multa, maxime

ea quibus voluntas explicari solet, infinitivum postulant. Ex. gr.: *Qui mentiri solet, peierare consuevit. Omnes cupimus, ego imprimis, te videre.* Vel etiam subiunctivum cum particula *ut*, ceu: *Praecipit oraculum ut sumerent Themistoclem imperatorem sibi.* Sin vero negatio intercederit, pro *ut* utemur *ne* vel *ut non*.

71. Verba *timendi* et *cavendi*, ut *timeo, vereor, metuo, caveo*, et aliquando *vito* et *video*, subiunctivo quoque gaudent cum particula *ne*, si id timetur quod non optatur, sin vero aliter fuerit, cum *ut* vel *ne non*. Ex. gr.: *Timebat ne evenirent ea quae acciderunt. Vereor ut placari possit.*

72. Quae vero *affectiva* dicuntur, ut *laetor, quaeror, paeniteo*, infinitivum exigunt vel etiam subiunctivum cum particula *quod*. Ex. gr.: *Querebatur amicus quod opus fieret.*

73. Subiunctivum etiam cum particula *quod* petunt quae verba *laudandi, vituperandi* et *omittendi*. Ex. gr.: *Accusatus fuit Miltiades, quod societatem cum rege persarum ad Graeciam opprimendam fecisset.*

74. *Impediendi verba, prohibendi* et *obticendi*, infinitivo adiunguntur vel subiunctivo et particulis *quominus* vel *quin* si negativa fuerit oratio; alioquin particulae *ne*. Ex. gr.: *Divina lex non impedit te optemperare aut quominus vel quin ludo caste optemperes. Veto ne scribas.*

75. Denique, *dubitandi verba*, infinitivum regunt vel subiunctivum cum particulis *an, utrum* vel *num*; sin vero negatio fuerit, particulas *quin, necne* vel *an non* talia verba sibi assumunt. Ex. gr.: *Dubitabam utrum, an vel num studeres. Non dubitabam quin consilia mea perventura essent ad aures fratris.*

76. Quae motum significant, ut *ire, proficisci, contendere, venire, mittere*, etc., etiam alia, ceu *admitto, colloco, do, conduco*, supina in *um* regere possunt. Ex. gr.: *Lusum it Maecenas, Laecedemonii Agesi laum bellatum misserunt in Asiam. Spectatum admissi, risum teneatis amici?*

77. Verba composita saepe casum praepositionis

habent, tacita vel repetita praepositione. Ex. gr.: *Alloquitus fui Caium Valerium quo tempore urbem adivi. In Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella, in alienam uterque provinciam.*

78. Propria pagorum castellorum, urbium, primae vel secundae declinationis ponuntur in genitivo post quodvis verbum, si locum designatur *ubi* res accidit. Ex. gr.: *Accepit litteras tuas, datas Placentiae.*

Propria sequuntur appellativa quatuor: *humi, belli, militae, domi*, quorum postremo adiungi possunt *meae, tuae, suae, nostrae, vestre, alienae*, ceu: *Nonne mavis sine periculo domi tuae esse, quam cum periculo alienae?*

Si propria tamen fuerint tertiae declinationibus vel pluralis numeri, sexto casu utendum est, ut: *Babylone, paucis post diebus, Alexander mortuus est. Malo cum timore domi esse quam sine timore Athenis tuis.*

Dicitur etiam: *rure* vel *ruri esse*.

79. Quodvis verbum admittit dativum eius personae in cuius gratiam, commodum vel incommodum aliquid fit. Ex. gr.: *Non omnibus dormio. Amo haereditatem filio meo.*

80. Quae dativum postulant, gerundium etiam dativi regunt, ceu: *Ut ne triumviri accipiendo, nec scribae loquendo sufficerent.*

81. Locus *ad quem motus ducitur*, accusativo gaudet cum omnibus verbis. Ex. gr.: *Quo properas? Romam.* Sed appellativis semper additur praepositio ut: *Quo properas? Ad forum.*

82. Locus *quem versus*, exprimitur per accusativum cum praepositione *versus*. Ex. gr.: *Quorsum tendis? Romam versus.*

83. Omnibus fere verbis, praeter casus suos, possumus communes hos accusativos adnectere: *hoc, istud, illud, id, idem, quod, quid, aliquid, siquid, quiddam, quidpiam, quidquam, unum, multa, pauca*. Ex. gr.: *Unum exorare vos sinite nos. Itaque hoc te obsecrant.*

84. Accusativo etiam utemur cum praepositione *per*, vel etiam ablativo, si locum *per quem* ad alterum tendimus exprimere voluerimus. Ex. gr.: *Qua iter*

fecisti? Per Romam vel *Roma*. Sed appellativis et propriis provinciarum semper additur praepositio ceu: *Qua iter fecisti? Per Siciliam, per forum.*

85. *Distantia omnis, pondus ac dimensio*, accusativo efferuntur, vel etiam ablativo. Ex. gr.: *Haec civitas est, citra populum, stadia quinque. Nix alta iacuit quatuor pedes vel quatuor pedibus. Maximus imperator quadraginta libras carnis uno die absu-mebat.*

86. Tempus *quo res evenit* ablativo effertur, ut: *Quando datum est tibi hoc negotium? Anno superiore.* Sin vero *totam alicuius eventus durationem* exprimere optaverimus, accusativo vel ablativo utemur, ceu: *Quandiu Romulus regnavit? Septem et triginta annos vel annis.*

87. Locus *ex quo motum incipit*, ablativo gaudet. Ex. gr.: *Venio Roma, Carthagine, vel ex Roma, ex Carthagine.* Appellativis autem, semper additur praepositio, ut: *ex foro, ex urbe.*

88. Ablativus *instrumenti, causae, medii, excessus, materiae aut modi*, omnibus verbis communis est. Ex. gr.: *Hisce oculis egomet vidi. Vestra culpa haec accidunt. Scipio omnes sale facietisque superabat. Sapientissimus quisque aequissimo animo moritur.*

89. Denique, omnibus verbis addi potest ablativus absolute positus, ut: *Quod auctore te, velle coepi, adiutore assequar.*

DE PARTICIPIIS, GERUNDIIS ET SUPINIS

90. Participia eisdem casus habent quos verba a quibus procedunt. Ex. gr.: *Totus est nunc ab iis a quibus tuendus fuerat derelictus. Ancus, ingenti praeda potitus. Romam redit.*

91. Plura participia praesentis et aliqua praeteriti verborum activorum, cum permanentem qualitatem significant, pro adiectivis usurpantur et genitivum regunt. Ex. gr.: *Romani semper appetentes gloriae fuere. Incautus futuri permanes.*

92. Participia in *ans, ens*, et nonnulla etiam praeteritii temporis, ut *consultus* et *doctus*, item genitivo adhaerent. Ex. gr.: *Boni cives amantes patriae. Neque ille magis iuris consultus quam iustitiae fuit.*

93. Passiva praeteriti et futuri temporis, dativo gaudent, ut: *Sperare videor amicitiam tuam notam posteritati fore.*

94. *Exosus, perosus, pertaesus*, accusativum petunt, ceu: *Persarum te mores et disciplina delectant, patrios mores exosus est. Plebs consulum nomen, haud secus quam regum perosa erat.*

95. Participiale in *dum*, accedente verbo substantivo, dativum postulat, ceu: *Hic vobis vincendum aut moriendum est.* Et etiam sui verbi casum dativum admittit, ut: *Tuo tibi iudicio utendum est.*

Si tamen casus verbi fuerit accusativus, mutabitur participiale activum in passivum, hoc modo: *Petenda est tibi pax*, pro *Petendum est tibi pacem.*

96. Gerundia quae activa sunt, casus suorum verborum admittunt. Ex. gr.: *Tempus obliviscendi iniuriarum, ignoscendi inimicis, coercendi cupiditates, abstinendi a maledictis.*

Sed ea quae accusativo casu gaudent, elegantius, adiectivorum more, sic efferuntur, ut gerundii casus maneat, servato tamen genere et numero substantivi, hoc modo: *Pompeius fuit studiosus Rempublicam defendendi, civesque servandi, vel Pompeius fuit studiosus Reipublicae defendendae civiumque servandorum.*

97. Supina in *um* verborum suorum casum regunt, ut: *Legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium.*

§ IV.—DE PRAEPOSITIONE

98. Quaevis praepositio separabilis casum sibi proprium secum adducit. Ex. gr.: *Tiberius circa Deum negligens fuit. Cicero verba fecit pro libertate.*

99. Accusativum itaque regunt: *Ad, apud, ante, adversus* vel *adversum, cis, citra, circiter, circa, circum, contra, erga, extra, intra, inter, infra, iusta, ob, penes, per, pone, post, prope, propter, praeter, secun-*

dum, subter, supra, secus, trans, ultra, versus et *usque.*

Subter interdum, apud poetas, ablativum habet.

Ad, ob, inter, iunguntur etiam gerundiis in *dum*, ceu: *Conturbatus animus non est aptus ad exsequendum manus suum.*

100. Ablativo gaudent: *a, ab, abs, absque, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, prae, procul, palam* et *sine.*

Praepositiones *a, ab, de, in,* et interdum *e* vel *ex, cum, pro,* gerundia in *do* regere possunt, ut: *Amor et amicitia ab amando dicta sunt. Quis est tam in scribendo impiger quam ego?*

101. *In, sub,* et *super* modo accusativum, modo ablativum, pro varia significatione postulant.

In cum verbis quietis aut cum aliquid fieri in loco significatur vel ponitur pro *inter*, ablativum regit; alioquin vero accusativum. Ex. gr.: *Sum in templo. Deambulo in foro. In hac solitudine careo omnium colloquio. Brutus fuit pius in patriam, crudelis in liberos.*

Sub pro *circiter, per, paulo ante, post,* cum tempus adsignificat et cum verbis motus, accusativum, cum verbis autem quietis ablativum postulat. Ex. gr.: *Sub lucis ortum, sub vespere, sub noctem, sub idem tempus haec gesta sunt. Sub nomine pacis bellum latet.*

Super ferme accusandi casum poscit, sed item ablativum amat cum pro *de* ponitur et etiam aliquando cum verbis quietis, maxime apud poetas. Ex. gr.: *Sedeo super saxum. Hac super re scribam ad te. Fronde super viridi.*

102. *Tenus* genitivum plurale vel ablativum singulare desiderat, ut: *Oculorum tenus, ore tenus, capite tenus.*

§ IV.—DE ADVERBIIIS ET INTERIECTIONIBUS

103. Adverbia *satis, abunde, affatim, parum, instar, partim, huc, eo* et *ergo* pro causa, genitivum postulant. Ex. gr.: *Satis iam verborum est. Plato mihi*

unus instar est omnium. Victoriae navalis ergo, in unum diem supplicatio decreta est.

104. Item genitivum regunt adverbium superlativa ab adiectivis orta, ut: *Maxime omnium nobilium graecis litteris studuit.*

105. *Ubi, ubinam, ubicumque, abivis, quovis, quoquo, nusquam et longe*, genitivos terrarum gentium eleganter admittunt, ceu: *Quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem.*

106. *Pridie et postridie* genitivum vel accusativum petunt, ut: *Pridie huius die venit. Postridie ludos apollinares.*

107. Quaedam dandi casum petunt more eorum unde ducuntur, ut: *Non quaero quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere. Platoni, sapientiae antistiti, Dionysius vittatam navem misit obviam.* (Nam congruens, conveniens et obvius, dativo gaudent.)

108. *Proprius, proxime, en et ecce*, accusandi casum exigunt. Ex. gr.: *Cur proprius urbem moventur? En crimen, ecce miseriam. Dux operam det ut cum suis copiis quam proxime Italiam sit.*

En et ecce nominativo etiam interdum iunguntur, sed hoc nec rectio nec concordia dici potest, sed potius oratio quaedam per ellipsim deducta. *Ecce homo, idem est quod hic est homo, vel homo adest, vel ante te homo apparet.*

109. *Abhinc* verbis praeteriti temporis iunctum, accusativum seu ablativum postulat, ut: *Horum pater abhinc duo et viginti annos vel annis mortuus est.*

110. Adverbium comparativa ablativo casu gaudent, ut: *Nihil est quod tibi sapientius te ipso suadere possit. Lacryma nihil citius arescit.*

111. Interiectiones *hei* et *vae* dativo gaudent, ut: *Hei mihi! Vae tibi!*

112. *O, heu et proh*, accusativo adiunguntur, ut: *O me perditum! Heu me miserum! Proh Deum hominumque fidem.*

De interiectionibus *o, heu et proh* (quae etiam nominativo et vocativo haerent) idem sentiendum est

quod supra (num. 108) de adverbis *en et ecce* dictum fuit.

Quum *regularis constructio* seu *collocatio* verborum sit in latino sermone fere inusitata, haud necessarium nobis videtur de ea quidquam explanare. Ad versionem vero quod attinet, tyrones facillime hyperbaton displanabunt vocum significationem scite et accurate exquirendo.

PARS ALTERA

DE SYNTAXI FIGURATA

§ I.—DEFINITIO ET DIVISIO

113. Figurae sunt quaedam loquendi rationes, a trito et vulgari sermone remotae, quae ex animae affectionibus nascuntur et scriptorum usu fundantur.

Cum vero ea, partim in positione vel collocatione (*hyperbaton*), partim in additione (*pleonasmus*), partim in abiectione (*ellipsis*), partim denique in commutatione vocum (*enallage*), solummodo consistent, nonnulla praecepta de singulis explanavimus, quamplurimis aliarum figurarum vel nominibus praetermissis, eo quod omnia in quatuor praedictis convertantur.

§ II.—DE HYPERBATO

114. *Hyperbaton* figura est qua ordo verborum rationalis perturbatur. Et quamquam is latinae linguae sit genius, ut in ea verborum ordo non tam arctis legibus adstringatur ac in aliis linguis, sequentia tamen observanda videntur, ut quis sit hac in re germanae